

Hist. Eccle.
lib. 3.
cap. 10.

Lib. de
Resur.
sarnis.

modum & rationem, quomodo singula in docendo digerenda, explicanda, illustranda sint. Quam ad rem cum Philosophiæ studia non parum adferant emolumentum, imo tanquam Thesei filum viam nobis monstrant; in propatulo est, quam idonei illi doctores sint, qui sine his suum se facere posse officium opinantur. Altera deinde causa est, adversariorum malitia & astutia: quos sæpius in sophismatibus argute excogitatis, causæ suæ præsidium posuisse, & veteris & recentis Ecclesiæ ostendunt certamina. Ut enim de illa saltem dicamus. Testantur monumenta veterum, **ARRIUM** meliorem fuisse Dialecticam, quam Theologum: & Iulianum Imperatorem, ut Christianam religionem tantò premeret fortius, legem sanxisse auctor est Socrates. *Ne Christiani literis humanioribus instituerentur: Nam si sint (inquit Iulianus) lingua ad dicendum exercitata, facile dialecticorum qui sunt apud gentiles, argutijs, occurrere poterunt.* Vidit quippe apostata, congressum fore infelicem, ubi altera pars in palæstra sophistica probè esset exercitata, altera verò quomodo ictus isti sophisticæ declinandi avertendiq; essent, perspectum non haberet. Ergo ut feliciter cum adversarijs veritatis Christianæ, plerumq; eloquentia & eruditione armatis, congregari possimus, eodem armorum genere instructos, & ad dimicandum paratos nos esse convenit: sic tamen ut quibus illi utantur *in adiutorium falsi*, ijs nos utamur *in testimonium veri*: ut de disciplinarum philosophicarum usu in rebus Theologicis, Tertullianus loquitur.

Atq; hoc fine discenda est philotheologo Philosophia: in quâ egregiè versatum nostrum fuisse **LOBECHIUM**, nollis omnes, qui ipsum disputationibus cum publicis tum privatis, objecta omnia primum ad philosophicæ veritatis libram expendere, & deinde trutinâ verbi di-

di-